# D. O. M.

# QUÆSTIO MEDICA,

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ Martii* M. DCC. XXXI.

## M. LUDOVICO-HYERONIMO COSNIER, Doctore Medico, Præside. autore.

### *An Melancholicis Balneum?*



I.

PRÆCIPUUM corporis bonum, Sanitas; hæc, si recentioribus fides, nil nisi æquilibrium fluida inter & solida. Fluida intellige ea omnia quæ massæ sanguineæ compositionem subeunt: solida, quæ hanc totam humorum massam continere, coercere, continuoque agere motu apta nata sunt; motum hunc ne qualemcunque putaveris: circularis præcipuè, à centro pulsat indesinenter ad periphæriam, à periphæriâ pariter ad centrum; hinc itque reditque semper per omnia & singula corporis vasa sanguis. Hujus massæ cum diametro, illiusque impetûs cum renitentiâ vasorum seu solidorum justa proportio, æquilibrium est. Vigente hoc, viget functionum integritas, summum sanitatis punctum & culmen: culmen heu quam lubricum! Felix qui tam optato gaudet fastigio; beatus ille, qui eo potest ad ultimum vitæ finem placidus potiri. Propè divinus ille est, inquit Hippocrates, cujus consilio, tot casibus obnoxia valetudo firma stat, imbecilla firmatur, læsa reparatur. Utinam ineluctabile fatum tristis hujusce ultimi præsidii necessitatem secum non attulisset! jam tunc sufficeret pars illa Medicinæ quam ὑγιεινὴν vocant. Tradit sanis vivendi normam, tradit & imbecillis seu causariis, qui valetudinarii audiunt. In utrorumque familiâ Melancholicos meritò annumeraveris, quos eâdem diætâ sanare est, quâ sanos servaveris. Quod his præscribit Romanus Hippocrates, illis præcepisse diceres. *Utile,* inquit, *modò ruri esse, modò in urbe, sæpius in agro, navigare, venari, quiescere interdum, exercere se frequentiùs.* Sano cuilibet homini etsi competit id quidem vitæ genus, temperamento tamen morboque Melancholicis propiùs & efficaciùs aptatum. Suadet idem & balneo uti interdum, omni optimè habenti aptum appositumque consilium: at balneum efficacius, utiliùsque Melancholicis quis negaverit, cui vel tantisper hujusce morbi natura cognita. In Melancholicorum humoribus ferinum quid inest & acre & lentum contumaxque, resinæ gummi acerbissimi naturam referens, innoxieque vasa permeare nescium. Quidquid tangit, si non exulcerat, irritat, vellicat intimiùs stimulatque jugiter. Tam effero hosti coercendo, potenti auxilio opus est. Quis corrugatas sensim partes & in sese recipi coactas, nervos scilicet & omne membranaceum genus laxabit? Quæras qui constrictos vasorum diametros amplict, oscillationes impeditas liberet, torpentes suscitet, deletas restituat. Indiget elocari, quod fixum, mollitum prius, humefactum, dilutum; indiget & mulceri quod acre est. Quod nuper stagnat duci solummodo postulat, agi citiùsque solvi; hinc & eliquari potentissimi diluentis ministerio, quod tandem omnia tum fluida tum solida ad naturæ justum & æquabilem modum restituat. Negas? Fave oculis, fave attento animo & hujus morbi naturam, ac primum symptomata ritè perspice.

II.

QUÆ Melancholiam comitantur accidentia, numero & specie diversa, fermè infinita meritò assereres; ea si non singula, plura simul morbum designant, describas enim hunc faciliùs quàm definias. Inter chronicos habitus, varias suscitat tragædias. Modo men-

tem ſolam videtur impetere illæſo corpore ; tunc parentes agnoſcit animi pathemata. Hunc idiopathicum nominant : interdum ſoli nocere corpori credas ; brevi tamen nec ipſi animo parciturum niſi principiis obſtes. Hic craſſitiei ſanguinis ſoboles, ejuſque circa venam portarum ſtagnatio ; ſympathicum dicunt. Si vim ſymptomatum ſpectes, ut à cauſis agnoviſti duplicem, ab effectibus triplicem habeas. Simplex ineſt quibuſdam triſtitia mœrorque & metus abſque ullâ evidenti causâ ; facies ipſis auſtera, oculi ſqualidi, utplurimum demiſſi, livor pallidus vel color plumbeus, corpus hirſutum, ſæpè nigrum, macrum, ſtrigoſumque: quamvis quibuſdam molle ſed oleaginoſum. : omnia tuta timent, ſui ipſos tædet ; taciturni utplurimùm, interdum loquaces, aſt garrulis æqualiter infenſi, loca ſola tenebroſaque, jam ipſi mente tenebroſi, habitare amant. Uberes plurimi fundunt lacrymas, fæminæ frequentiùs ; inſidiis undique circumveniri ſe rati, vitam quam odio habent ſpernunt, in deſperationem facilè proclives. Hæc ſpecies utrique cauſæ ſuperiùs enatratæ indiſcriminatim debet ortum. A læſione mentis oriunda, in pejus abit medelæ impatiens. Ab inſpiſſato ſanguine, propter tenſionem hypochondriorum, hypochondriaca dicta ; flagellum Medicinæ audit, opprobriumque Medicorum. Quid ſi comitem dederit ſe delirium etiam ſine furore? Si non circa omnia ſemper ſenſu aberrant, aliquando unicam tantum circa rem modo deſipiunt, propoſiti tenaces acertimi ; nec ideo minùs prædicta patiuntur. Cave tunc ne intemperantiùs gliſcens morbus, nullum tandem modum reneat, furor enim ſeu mania, hujus affectûs coronis & ἀκμη ; tunc ſacrum intactumque nihil ipſis putes, ad ſummum evecta gradum materia morbifica, effrenis per mediam capitis arcem irrumpit ; omnia ſus deque vertit ; nervos ferox disjicit, cogitque motus ſolitos & ordinatos dediſcere ; hinc blanda illa vis elaſtica in rigorem verſa, Epilepſiam mentitur, ſi non eſt vera ; aut vires in immenſum evehit. Jam tunc non ſuſpicax & meticuloſus ut antea, nihil pertimeſcit, nemini diffidit. Cave potius ipſi fidas ; antea frigoris & caloris, doloriſque minimi vix patiens, nunc vulnera ne perſentiſcit quidem, ne dum verbera, brumam aut æſtum: quàm timidus antea, cæteros lædendi, nunc tàm ipſis nocendi avidus. Hæc abſque febre evenire vix credas? nihil tamen certius ; monſtrum ſanè dignum Hercule, at neque ferro neque igne debellandum. Ipſius natalia inquire. Trium horumce morborum vel ejuſdem morbi graduum origo, depravata bilis : hæc quaſi ſal & condimentum humorum corporis. Cum ipſis legitimè ſociata, hilaritatem, vigorem, alacritatem, acutiem mentis, memoriam, ingenium, ſuavitatem morum floridamque diatheſin præſtat. Uſurpato imperio facta domina, iracundos, feroces, truculentos facit ; vitiata furioſos. Naturam ipſius videtur tenere, qui eam oleo temperatam cum ſale volatili ſubacri dixerit. Illud ſal alkalino-ſulphureum credere eſt : omnia roderet, efferaret, niſi tam ſapienti connubio frænaretur, lentore ſuo omnia inviſcaret oleum, niſi grano ſalis dilutius & dilucre efficax, fieret. Turgeat bilis, tali temperamento præditi, ii Melancholiæ proximi ; ſpiſceſcat, orificia vaſorum, viſcera ac præcipuè hepar & lienem perreptantium, occludit, tardat ſanguinis motum, ſtagnationis futura occaſio : hinc tenſiones hypochondriorum, hinc cardialgiæ, dolores circa ſcrobiculum cordis ; pars enim quælibet eo propior periculo, quo vicinior. Actiùs ſe efferat ſal per vaſa means liberius, ſenſim vellicat fibras vaſorum majorum, donec longis circuitibus tandem ad ultimas fibrarum propagines delatus, vaſa ſcilicet & lymphatica & nervos (extremos corporis receſſus) majores moliatur tumultus, ibi omnibus ſpaſmodicè affectis exultat ferox baccaturque impotentius, niſi irritata mulceas, tarda promoveas, ſtrangulata liberes, rigida mollias, ſpiſſa diluas, juſtumque tandem reſtituas naturæ modum & æquabilitatem.

III.

BALNEUM multiplex, multiplex illius effectus ; gladius anceps, qui læſerit improvidum, uni ſalus, alteri mors eſt. Eluendis primò membrorum ſordibus, corporiſque totius munditiei ſervandæ adhibitum, docuit mortales cujus pretii eſſet. Puritatis vindex nunquam ſatis æſtimandus, omnes, Proteus, formas induens, multiplices ſe diffudit in uſus. Naturâ benignum, mediis ſe fluminibus in aprico conſpiciendum præbuit, totum alluens orbem ignorari noluit ; quin & arte corrigi in omnium publicum commodum paſſum eſt. Verum naturæ ars æmula, longè inferior, quocumque certent ſub judice. Sola balnea aquæ ſeu fluviatilis, ſeu marinæ ſeu fontanæ aut putealis è terræ viſceribus ſcaturientis, aut cœleſtis in cyſternâ collectæ, naturalia audire debent. Cætera ex muſto, oleo (quo utuntur Hiſpani frequentiùs) lacte, decoctis herbarum, radicum, fructuum, atte facta, opus artis habeto.

Inter priora, calida quædam reperire eſt; invenias & frigida. Utraque differunt adhuc inter ſe variis vel æſtus vel frigoris gradibus. Haſce qualitates imminuunt quidem vel adaugent at non immutant anni tempeſtates diverſæ: acceptas habent utplurimum à mineralibus aut metallis intrà viſcera terræ deliteſcentibus, quorum naturam & virtutem referunt, inde illa, ſolidas partes rigidiores nata reddere, corpuſculorum mineralis aut metalli quod adhùc continent, percuſſione, à Melancholicorum toto regimine exulent; illa dixeris naturalia, quæ nullâ aſcititiâ energiâ prædita, ſuâ virtute ſe involvunt; ea, cæteris præcellentia, beneficâ ſimplicitate, multitudinem bonorum afferunt. Ea vis agnoſcere? Aqua pura, ſit & limpida, pellucida, levis, quæ legumina facilè & celeriter concoquat, in alveo lapillis puris lævibuſque & arenulis pleno manet; hæc ſi nullas aut paucas, longo tempore ſervata, fœces deponat, omnibus antecellit; hæc fluidior, tenuior ſenſimque ſine ſenſu dutiſſima penetrare, emollire idonea & ſolvere, præſertim ſi igne admoto vires innatas juveris; jugiter depluens gutta, cavat lapidem, duritiemque cogit deponere. Ut naturâ balnea calida multo ſulphure admixto turgida, laxis nervis amica; ſic ſpaſmodice tenſis in Melancholicis reperias ſtigia; emollientia potius arte effice; nitro plantis omnibus infixo ſociari amat aqua, de ſua levitate nihil amiſſura & refrigerium non leve ſolamenque partibus aduſtis & ardentibus illatura. Hæc balnea, ferociæ morbi leniendæ utilia ne dubites, bilis acredinem multùm diluendo, minus auſteram reddent; fluiditatem ſpiſſitie & lentore impeditam, diluendo reſtituent, rigorem injectum fibræ ſeu ſolidis, alluendo flectent, ſolitâque dabunt elaſticitate frui; cutis ariditatem emolliendo, oleaginoſam viſcoſitatem, ipſi interdum extùs adhærentem, ſolvendo meatus & ſpiracula quæ pori dicuntur, recludent, viâque patenti dabitur fixè ſub cute inhærentibus effluviis, liberè exire. Non hæc ſola, ope balnei, effici credideris; altiùs intimiùſque penetrat flexilioribus factis exterioribus, per extremitates vaſorum quaſi per cuniculos totidem ſubeundo perreptat, ad majora uſque vaſa, quâcumque tranſit, omnia laxando, hoſtemque ad ultimos perſequitur receſſus; frænum injicit, novoſque tumultus meditari vetat.

## IV.

ORGANIS tuendis ſuperſtrata cutis, corpus omne circumveſtit. Organum & ipſa, cuticulæ ſubſternitur, ſub ipſius tutelâ ſecurior futura. Illa, parte ſuâ maximâ, textum reticulare eſt, ex fibrarum nervearum ultimis propaginibus præcipuè conſtans. Interſtitia cellulas haud immeritò dixeris, quæ oleo craſſiori plenæ, adipoſæ nuncupantur. Hæc omnia indiſcriminatim pererrant generis vaſa cujuſlibet; præcipua tamen annotaveris, quæ & ſudorem & tranſpirationis inſenſilis effluvia foras amandant. Horum ad uniuſcujuſque extremum, à latere invenias, (ſicut in ripâ fluminis aut rivuli, planta paluſtris) altas radices injeciſſe bulbum cujus caudex pilus; intervalla reliqua in ſuperficie cutis exteriore, glandulis ſolitariis quibuſdam, uvæ figuram referentibus, & papillis nerveis, paſſim efflo-reſcunt. Hinc commune & ultimum omnium involucrum Epidermis, foraminulis ſcatet ubique. Alia ex his libera remaneant excrementis foras amandandis, neceſſum eſt. Juxta hæc, cætera pili trajiciunt. Textura Epidermidis ſquammea, ſtaminibus ſanè elaſticis pendula. Sub his ſquammis, quaſi ſub valvis, latent plurima vaſorum excretoriorum oſcula, Pateant curato, ni perſpirationem impedire vis. Cave ne aut ſordibus, aut ſtagnante excremento, aut rigiditate nimiâ ſquammarum prementium aut conſtrictione corrugationeve oſcula hæc occludantur. His præcavendis quid aptius aquâ ſimplice extus circumfusâ? partes aquæ, ſubtiles teretes, flexiles, tenues, glabræ, motu perpetuo (qui fluiditas eſt) agitatæ, quietis planè expertes. Quo purior aqua, eo ſaturari, ſeu impræegnari miſcerive cum cæteris corporibus facilior, quocumque volueris foramine minor, omnia ſubit; hinc indè diſjicit partes, flecti & meatum permittere neſcias: indè menſtruum univerſale ſola hucuſque audit. Si cedant partes, blanditur ipſis undulatione oſcillationis æmulâ, alterniſque ſe mutuo juvant elateriis; indè ſi corporis Melancholici fibras alluerit oleo plenas viſcoſo & quaſi ſaponaceo (natura enim bilis ſaponacea) quæ aquâ, experientia teſte, ſolvitur, glutinoſæ illius ſordes brevì eluuntur, hiantque tandem perſpirationis ſpiracula. Si hæc rigiditate ſquammarum clauſa, admoto humore aqueo brevi ſe reſolvent; ſi irritatione & vellicatione ſalis alkalini acris ſulphureique à bile oriundi, illius aculeos circumquàque inveſtiendo & obvolvendo, vim obtundunt, ſæpiuſque eluendo, evacuandis illis anſam præbent. Exterioribus laxatis partibus, criſpatæ interiùs jam comprimuntur minùs; en levaminis principium. Aſt accipe plura. Adapertis cutis ſpiraculis, ipſo pondere, quod immenſum eſt, niſi

magna vis reniteretur intus, caninaliculos inanes jam facile ſubit, aut niſi inanes, contactu emollienti, ampliando, quaſi vacuos reddit, ſibique parat iter ad interiora. Quæ per myriades pororum ſeorſim in vaſa irruperunt particulæ aqueæ, agmine tandem facto, in communibus receptaculis coalitæ, ingreſſæ per venas, nunc ubique triumphaturæ, ſimiliter deferuntur per arterias ad ultimorum uſque nervorum propagines; ſic corpus permeare integrum, laxando poſſunt; teſtes urinæ in balneo copioſiores; ſedatæ per hoc, alvi & abdominis inflammationes, Nephritides, Phrenitideſque; quin & rabies extinctæ prorſus & celeriter. Ubique laxabit balneum, in ſolo autem erethiſmo non laxaret? Omen abſit.

V.

SYSTEMATIS cujuſlibet, lapis lydius experientia. Eam qui reſpuit, cœcus judicare vult colores; qui hanc rationis examini non ſubjicit, mediâ in luce tenebras palpat Ægyptias, nubemque & inania pro veritate captat; eò certiùs periculoſiùſque errans quò erroris ſecurior. Veritatem in omnibus quæris? Experimentum rationi non abſonet, ratio ſpondeat experimentum, ſic ſe habet noſtrum de Melancholiâ aſſertum, teſte obſervatorum principe *bonum*, inquit, *ſi morbis Melancholicis ſupervenerint varices aut Hæmorrhoides; bona Dyſenteria, felix Hydrops.* Criſes ſanè, bilis vitio ex flavâ in atram verſæ, tribuendæ; varicoſum enim ſanguinem, melancholiæ ſeu atræ bilis ut vocant, plenum eſſe, conſentiunt Medici omnes; inde prurigines intolerandæ in partibus affectis; acredinis bilioſæ ſignum haud dubium; in hæmorrhoidibus hiſce bilem prædominari quis neget, niſi ardores quos in ano & in viciniâ patiuntur ægri, ignoraverit? In Dyſenteria ſaltem non negaverit bilem torrefactam inteſtina ulcerare, rodere miſerabiliter, ad ſanguinem uſque lacerare; tanta eſt hujus ſalino-ſulphurei laticis, tamque horrida aſperitas! Hæc tamen, ut & Hydrops, bona inquit Hippocrates, ſolvuutque morbum, quia cum ſint evacuationi proxima, periculum non eſt amplius, ut fiant in partes nobiliores, decubitus, qui valdè pertimeſcendi in morbis Melancholicis: ſi enim in Caput, aut Maniam aut Epilepſiam procreat, nervos laceſſendo; aut Apoplexiam, ſi vaſa ſanguinea nimio impetu petat aut in lymphatica vaſa inſolentius irrumpat; rigeſcit enim ad minimum quicquid hujus non effugit contactus, ſi non ulceratur rumpiturve. Ordinem naturæ amicum poſſe reſtitui putaſne niſi potenti diluente quod irritata, diſtenta, mulceat laxetque antequam diſſiliant: ubinam autem ipsâ diluens potentius aquâ, quæ alvi profluvia huic morbo ſalutifera valet procurare, aut hujus evacuationis æmulam minimè contemnendam, per totum corpus diaphoreſim? Nonne illa ſalitas carnes piſcium aut cæterorum animalium, aliquot dierum intinctu, eorum ſubſtantiam quâqua verſum penetrando, inſipidas prorſus ſolet reddere? Cur non & corpus humanum, intùs ſale acerrimo ſalitum, lotione frequenti edulcoraret? Nonne urinas ciet? An relaxatione ſolidorum, an commixtione ſuâ cum ſanguine quâ fluidior evadat? Utroque modo id fieri negaverit nullus. Quid verò agendum in Melancholicis aliud quam fluentia dulciaque reddere liquida, ſolidorumque rigiditatem emollire, ductilia denique facere omnia? *Corpora ubi quis purgare voluerit, fluxilia faciat oportet* ait Hippocrates. Id ſi de aliquo, omnium maximè de Melancholico corpore veritati & experientiæ conſonum. His etiam fretus illuſtris Cous, monitos vult medentes omnes, *uberiùs Melancholicos deorſum* purgandos eſſe; fluxilibus nempe priùs humoribus factis; non autem fortiùs aut vehementiùs ob erethiſmi metum, utpote qui rigido jam firmiori ſaltem donentur partium tono, humorumque genere ſæpius tenaci, contumaci fixioreque. Vis rem ipſam confirmatam à Rondeletio? *Melancholici*, inquit, *potiùs cibis & balneis, aut potionibus & irrigationibus humectandi, quàm horum corpora medicamentis purgantibus calefacienda & exſiccanda.* Sed hac ſuper re litem derimit omnem Galenus: *Interim*, ſcribit, *monendi ſunt amici, qui me curantem viderunt, frequentiùs balneis & victu humido & boni ſucci, nullo adhibito præſidio, hujuſmodi me morbum curaſſe, humectatio namque longa, morbum hunc & curat & evincit.* His perpenſis quis non concludat

*Method. Med. cap. de melancholia.*

*Lib. 3. de locis affectis cap.* ultimò.

## *Ergo Melancholicis balneum.*

Proponebat Pariſiis, OTTO-CASIMIRUS BARFEKNECHT, Cœſlino-Pomeranus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1731. à ſexta ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi., 1731.